

si illa boni publici conservatio, ac inevitabilis mali propulsandi necessitas suadeat, impugnari possit; *Mev. ad Jus Lub. l. 1. tit. 2. art. 2. n. 70. Manz. dec. Palat. qu. 18. n. 24. Stamm. d. Servit. person. l. 3. c. 12. n. 11. Rumelin. ad Aur. Bull. p. 2. diff. 9. §. 5. ibique allegati Ddres, & late Menoch. d. Consil. 1176.* quibus adhuc, quoad cives alienigenos, qui scilicet ex alia civitate advenerunt, accedit, quod, quicumque ejusmodi civitati se adscribi patitur, & ibi domicilium constituit, in istius statuta & consuetudines etiam consentire videatur, & hinc ipsi postea aliud, quam quod semel placuit, placere non possit. *add. Dn. Rhet. Instit. Jur. publ. l. 2. tit. 14. §. 7.*

A statutis mutationem domicilii prohibentibus progredior ad pacta, quibus se ad commorandum in certo loco cives obstringunt; de quibus *Grot. d. §. 24. n. 1.* quæ si inita fuerint, omnino servanda sunt, frustra que aliquis pro lubitu mutare domicilium intendet. *Nec est, quod existimes, hujusmodi pactum libertati naturali adversum esse, ac proinde non valere; contrarium enim, & quod libertatem naturalem non tollat, pluribus deducit Stamm. d. serv. personal. l. 3. c. 12. & quemadmodum omnia alia pacta intelligenda sunt, rebus sic stantibus, ita & hoc etiam tacitam hanc conditionem in se habere videtur, nisi justa & urgens supervenerit domicilii mutandi causa, arg. l. 38. pr. ff. d. solut. l. 9. ff. d. Servit. l. 15. ff. pro soc. Lauterb. diff. d. domicil. c. 9. §. 64.* ac quamvis ita mutans contra pacti verba, non tamen contra paciscentium mentem & sententiam agere videtur.

Unde de pacti nuptialis, quo sponsus, vel maritus sponsæ, vel uxori suæ promittit, se certo in loco cum uxore moraturum, nec se invita uxore domicilium in alium

G

locum